Pfrang, Anton
Wien
Vienna

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
ANIMADVERSIONES
CIRCA
MUNUS DIAGNOSTICUM,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Antonius Pfrang,
Moravus Olomucensis.

Disputatio erit in aedibus Universitatis die 8. mensis Julii 1837.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Summus, ad quem Medicina, aegrorum salutem moliens, adnititur, finis morbi sanatio et aegri in integrum restitutio est, quam vero non perficiet, nisi qui morbum, omnesque morbi et aegri rationes, quousque licet, intellexerit. Quid enim morbus in corpus adfectum possit, qualem ad res externas se habeat, ad quem gradum sanari possit, et quae sint ad absolvendam sanationem remedia — medico non nisi ex cognita morbi natura patefiunt.

Ph. Caroli Hartmann Theoria morbi.

PIIS MANIBUS

OPTIMORUM PARENTUM,

NULLA UNQUAM OBLIVIONE DELENDORUM

gratissimus filius.

Praefatio.

Quodsi gravia et difficillima sunt medicorum nonnulla munera, illud diagnosim perficiendi hujus generis esse, nemo certe dubitet. Quum de hoc itaque nonnisi viros experientia edoctos, scientiaque solida egregios proprie tractare deberet; timeo, ne sint, qui me arrogantiae vel temeritatis ideo adcusent, quod hocce mihi selegi pro inaugurali dissertatione argumentum. Ast multum spei mihi est, fore, ut absolvar hocce judicio, quando grato animo fateor, me praelectiones ingeniosissimi nostri Dom. Professoris Franc. nob. ab Hildenbrand circa hoc objectum excipere, mihi tam multis sub hujus doctissimi viri auspiciis perfectis diagnosibus interesse licuisse, quae omnia fundamentum, cui reliqua adnecto, sistunt in hac elaboratione. Illas saltem, quatenus concepi, in usum traxi cum iis vero adhuc ea, quae ad rem spectan-

tia aliunde legi, combinans; universim eo tendi, ut momenta principilia muneris diagnostici exponam, et deinde secundum has, quantum licet, confectas diagnoses adjungam.

Quaeso tantum, iterumque quaeso, ut mihi tam arduum thema pertractanti, illa impertiatur benevolentia, quae cum argumenti difficultatibus sit comparanda, nec venia negetur, si hinc inde Ariadnes filum relinquere videbor, imprimis autem non obliviscatur: non pressum fuisse nonum in annum.

Si medici est, morbos vel imminentes arcere, vel praesentes abigere, tum certe ei summe necessaria erit singulorum morborum, dum in concreto occurrunt, cognitio, quam quoque vocant diagnosim. Cujus dicti veritas patet ita, ut jam apud Hippocratem legere liceat: *medicum ad sanandum sufficere, si ad cognoscendum suffecerit.* Summi tum momenti erit solutio quaestionum: 1. Unde debet egredi cognitio morbi in genere? 2. Quid complectitur haec cognitio morbi generatim? 3. Quo modo morbus quavis vice — in concreto cognosci potest? 4. Quaenam est via principalis ad hos fines adsequendos? 5. Quale ergo est, sive in quo consistit munus diagnosticum?

1.

Ad primam interrogationem respondeo: cognitio morbi nonnisi e cognitione vitae egredi debet et potest, nam vix monendum habeo, morbum nonnisi vitae esse formam et quidem abnormem, uti sanitas vitae normalem sistit formam; vita genus, sanitas et morbus hujus quasi species offerunt. Agitur ergo ante omnia de debito conceptu vitae, et quidem nostro in casu vitae humanae.

a.

Quando dicimus aliquem hominem vivere? et quid est haec vita? Ita interrogare a mente quilibet jubetur sua, utpote in cujus intellectu non est, quod non an-

tea fuerat in sensu (relate ad quam sententiam vero attentos reddo, eam etiam hic tantum, quousque vera est, ergo cum quadam restrictione, quam cuilibet perito autem notam suppono, valorem suum defendere), et quae ipsa ita est constituta, ut cognitionibus sensuum ope obtentis non velit acquiescere, sed ad cognoscenda rerum principia urgeatur. Huncce vero inquirendi modum naturalem esse, historia Medicinae testatur, in qua circa hoc objectum, modo sic dictas historicas, sive si mavis empiricas definitiones, proprie autem descriptiones vocandas, phaenomena tantum, seu formam vitae respicientes, modo philosophicas invenies, quae noumenon, essentiam ejus magis tangunt, simulque patebit, illas plus minusve congruere, eoque ipso veritatis vestigia offerre; has vero vel maxime a se invicem saepe saepius discrepare et sic magnam suspicionem circa dignitatem suam movere.

Hinc missa ulteriori explanatione eorum, quae circa hocce argumentum jam lucem conspexere, solummodo ea adducam, quae a doctissimis viris prolata et hodierno die utilitatem atque dignitatem suam tuentur, et iis, quae ulterius expositurus sum, praemittenda censeo.

Homo vivus tanquam ens perfectissimum in hoc terrarum orbe, totius naturae quasi epitome, diversas nobis offert manifestationes, actionibus et functionibus nexas, quarum unam partem communem habet cum reliquis incolis, alteram vero ipse solus possidet, eaque longe reliquis excellit entibus.

Ante omnia in ipso materiam necessariam continuo procreari, deperditam resarciri, corpus servari, uno verbo individui fieri conformationem conspicis; deinde ab eo germina produci valere, quae semel posita ulterius autonomam (intelligitur relativam) vitam agere possunt, speciei ergo conservationem observas.

Secundo, eum impressiones varias, quibus corpus afficitur, percipere valere, eum sentire — insuper motum exercere posse, animadvertis, uti et

Tandem, eum sui ipsius conscium esse, liberoque arbitrio ornatum, uno verbo illum possidere, quod humanitatem, die Humanität, vocant.

Ubi ergo summa illarum manifestationum adest, convincimur, hominem vivere, ubi priores in homine adsunt, etiam dicimus, eum vivere. Commercium earum non praetervidebis.

b.

Sed ideo nondum scimus, quid sit hoc vivere, quid sit haec vita; nondum rationem sufficientem harum manifestationum novimus. Supposuerunt talem sub nomine vis singuli cuique et sic vim conformatricem et genitricem pro primo; vim irritabilem, vim sensiferam pro secundo genere manifestationum assumserunt, eas, qua penitus a se separatas vires, vires principales, originarias considerantes; imo erant, qui has vires quidem qua derivatas determinarunt, sed rursus eas, a quibus derivatio proxime facta, ad culmen quasi evectas, summopere evolutas et ultimo manifestationum generi subtravere. Ast non multo ingenio et sagacitate opus erit, ut quis intelligat, hunc philosophandi modum, jam quoad ultimum momentum falsum esse, »*cum repugnat*, ut immortalis Hartmann inquit, *illud, quod ex intima natura sua spontaneum et liberum est, ex eo quasi excrescere, quod nonnisi sub definitis conditionibus et rationibus esse potest, necessitatis ubique imperio subjectum.*«

Et revera erant jam antiquissimis temporibus, qui inter soma et psychen nexum intimum utriusque non ignorantes distinxerunt, quem et nos agnoscentes prio-

ra duo genera manifestationum ad illud, ad hanc tertium genus manifestationum hominis referimus.

Sic ergo homo triadem hanc includit bioticam, vitam plasticam, facultatem sensibilitatis et irritabilitatis, facultatem cognitionis sui et liberi arbitrii, quae omnia rursus ad duo elementa, soma et psychen reduci possunt.

Est illud discrimen quidem rationis ope erutum, singulae tamen facultates actionibus et functionibus cadunt in sensus. Quaenam hae sint exponere velle, me a tramite praefixo abduceret, tractamen de his spectat physiologiam; ego potius, quia hucusque adductis parum adhuc circa vitam innotuit, a doctissimis viris prolata tali ordine hic adnotare conabor, qualem, antequam ad ulteriora exponenda me accingam, necessarium arbitror.

Reduximus manifestationes vitae humanae ad soma et psychen; haberemus ergo vitam somaticam, quam homo communem habet cum planta et animali; et psychicam, quae ipsi soli convenit. Definitiones et unius et alterius proferre, nemini hucusque contigit, licet illud aenigma varia ratione et vario cum eventu perscrutari et quidquam dilucidare plures jam adnisi sint.

Ultimum principium utriusque vitae certe in omnipotente Creatore — adorando Deo, qui absoluta, infinita libertate universum producit, est ponendum.

Caterva vero illa virium, e qua *proxime* vitam somaticam, vegetativam nimirum et animalem derivarunt, parum menti humanae fuit satisfactum.

Meliora tentavit et praestitit dualistica methodus eo, ut processum vitalem hunc somaticum e conflictu duarum solummodo virium emergentem sibi fingeret, illas vires, non qua peculiares, sed qua communes na-

turae vires, tantum sub peculiaribus rationibus in conflictum venientes sibi cogitans.

Quoniam vero vita somatica illa est, quam homo participat cum planta et animali, hic tantum ea adducere possum, quae universim cunctae convenient.

Hae vires nomine attractivae et repulsivae, contractivae et expansivae insignitae eminenter quidem per tempus efficaciam possident et hinc ad hoc relationem, ast etiam saltem aliquam ad locum agnoscunt, dum nempe qua materia adparent (nam non est semper necessarium, ut qua materia adpareant), eo ipso ergo definiuntur.

Sive jam respectu vitae sanae, sive morbosae vires illae considerentur, haec tamen proferre licebit:

Quamprimum, qua sibi invicem oppositae in conflictum congrediuntur, mutuo sese necessario sollicitant, atque intendunt; quum vero materia nihil nisi vis adparens, idque etiam cum illa evadere debeat, fit, ut secundum variam conflictus rationem, certis temporis periodis primo formentur materiae plasticae rudimenta quaedam, deinde texturae simpliciores, e texturis organa, ex horum serie systemata, saltem singulorum id, quod ad vitae somaticae speciem quamdam necessarium est (alias de vita tali nullus sermo esse potest), e quorum congressu oritur tandem universum oganicum corpus, in quo una pars alteram determinabit, et rursus vicissim determinatur, quod vel illud plantae, animalis vel hominis, sanum vel morbosum esse potest.

Potest quidem fieri, ut una pars vel plures, una vel plures manifestationes desint, ubi ergo harum respectu nullus virium conflictus — nulla vita supponenda est, et nos tamen *hanc absentiam*, *vitam* morbosam, morbum appellemus; ast id tum fit relate ad certum

aliquod corpus, sit venia expressioni, negativo modo, ex idea organismi.

Hic fors quis mirabitur, quomodo subito ad vitam plantarum et animalium perveniam: sed vix aliter possum; mihi saltem hic peculiaris sese offert difficultas; nam, quamprimum dicerem certum corpus procreari, nempe hoc, aut illud tantum, tum jam id supponeret aliquam legem, secundum quam hoc ita fiat, et sic ducor ad ideam de tali lege, secundum quam id ita fiat. Haec lex adhuc in conjunctione cum aliis secundum immortalem Hartmann norma audit. Huic ergo, ut certum, plus minusve perfectum corpus, saltem, quod diutius se conservare valeat, oriatur, vires obtemperare debent et eveniet tantum tale certum corpus, si ad normam illae agent, vel quod ad mentem illius magni viri idem est, si sanitas aderit.

Patet etiam ex hoc et pluribus aliis superius jam delineatis de vita speciatim quidquam fusius eum tantum loqui posse, qui eam in statu sano consideraverit, quamobrem pauca solummodo adducturus sum, statim deinde ad considerationem sanitatis transeuns.

Si corpus perfectius, uti illud animalis vel hominis erit formatum, illud interim rursus ulteriorem processum vitae fovere potest et sic fit, ut cum materiei perfectione crescente, ulteriori evolutione, vires altiorem quasi dignitatem nactae, alteram facultatem vitae, quae sub sensibilitatis et irritabilitatis, aut unius alteriusve nomine venit, in lucem prodere possint, sive jam status adsit sanus, sive morbosus. Si id non fit in una aut pluribus partibus, aut una, aut altera, in una aut pluribus partibus deficit, tum rursus supponere debemus, illum ulteriorem processum vitae certo modo in illis non foveri, quod ob diversas rationes, non raro nobis plane non eruendas fieri potest, et tum quidem vita plastica

perstare adhuc diu potest, sed de animali, aut sensibili, aut irritabili, nullus sermo esse potest, quam absentiam tamen relate ad ideam organismi vitam morbosam, morbum appellare licebit *).

Fatet nexus inter vitam plasticam et animalem, altera alteram determinabit, et etiam sensibilitas et irritabilitas vicissim influxum exercebunt.

NB. Illud, quod dico: *ut cum materiei perfectione crescente, ulteriori evolutione* etc. et deinde adjungo: sive jam adsit status sanus, *sive morbosus* etc., fors nonnullis videbitur contradictio; ast vix est, nam potest esse materia ad altiorem gradum evecta, sed non ideo ad altissimum et normalem; potest adesse musculus, sed potest ideo esse fibra ejus laxa, potest adesse nervus, sed fibra laxa, et an tum actio eorum erit sana? Nonne fors debilitas — erethismus etc. erunt sequelae? —

Illa intentio virium vero ultra certum gradum perduci nequit, cum ultra hunc gradum ipsae illae vires se invicem exhauriant, et ad mutuam potius exaequationem et quietem simul proprius accedant, quod idem cum materiis fit. Ut igitur vita, sive sana, sive morbosa diutius vigeat virium restauratione et materiei reparatione opus est, et haec fit e natura rerum, — sic emergit commercium cum universo.

---

*) *Objicere fors quis posset, facultatem sensibilitatis et irritabilitatis adesse posse, et se tantum non manifestare, quia stimuli desunt, me de his nullam mentionem facere; ast rogo, ut mihi credat, me haec non praetervidere et sub hac conditione, vel si mavis cum hac exceptione loqui.*

Quod vitam psychicam hominis adtinet, adjungimus tantum, vitam ejus psychicam et somaticam in intimo nexu existere; nam mens non cognoscit, nisi cognoscendum aliquod eidem repraesentetur; haec vero rerum externarum repraesentatio sensuum et organorum his inservientium ope fit, et vice versa, dum anima liberum arbitrium suum objectivum reddere vult, realisiren will, id rursus fit ope organorum.

Ultimo tandem commemoramus adhuc, eo, quod manifestationes principales et vitae vegetativae et animalis et psychicae organis adstrictae sint, eo inquam evenit, ut et vegetativa et animalis vita vel seorsim spectetur, vel in homine existens adsumatur, uti et psychica sub actionum et functionum diversarum specie in lucem emergat, sive jam status sanus, sive morbosus adfuerit, relate ad quem non erit necessarium, ut adnotationem respectu ideae organismi repetam. Et hae actiones et functiones omnes rursus quasi subordinatas manifestationes, modos, formas vitae sistunt.

c.

Secundum promissa mihi nunc ad tractatum circa sanitatem hominis transeumdum. Etiam hic mihi exponendum, quinam sanus dicendus et deinde, quid proprie sit sanitas.

Sanus jam a Boërhaave appellatur ille, qui actiones homini proprias exercere valet cum facilitate, oblectamento et quadam constantia. Secundum doctissimum Hartmann est sanitas conditio corporis vivi normae suae congrua. Norma ei sub hoc respectu nihil aliud designat, ac complexum illarum naturae legum, quibus corpus quodlibet vivum existendo et agendo obtemperare debet. Quae hae sint, qui scire

vult, relegat suam theoriam morbi. Ceterum, ut circa hoc argumentum prolixius verba faciat, committo physiologiae, cujus in forum spectat, notam illam suppono, qui potius tantum illa adhuc, quae scopum nostrum eminenter attingunt, in memoriam revocabo.

α) Vita humana et quidem in statu sano sub tribus manifestationum formis determinata quadam ratione in conspectum venit, nempe sub forma vitae plasticae, vitae irritabilis et sensibilis, quibus adhuc manifestationes vitae psychicae accedunt; — haecce intime junguntur, conditio unius ab altera dependet, radicem una in altera figit, et quoniam ope organorum fiunt, actiones inde et functiones cum suis productis variis scaturiunt, quae rursus, qua totidem formae, quasi subordinatae, partiales illius processus vitalis, qua id, quod in sensus cadit, quod nos de illo convincit, considerandae veniunt, et quae functiones et actiones omnes in illas vitae plasticae, sensibilis et irritabilis et illas vitae psychicae, vel si mavis, somaticae et psychicae dispartiri possunt. Ceterum et harum functionum et actionum intimus nexus, quum proprie his manifestationes illae contingant, per se patet. — Emergit idea organismi.

β) Manifestationibus vitae somaticae sanae non supponendae diversae vires, sed communes naturae, contractiva et expansiva. Hae sufficiunt vitae humani cujuslibet organismi et organi conservandae, manifestationibus vitae, actionibus et functionibus singulis efficiendis, pro varia ratione, conditione (quae norma sit), qua in conflictum veniunt et determinantur; melioris intellectus causa vero quoque nomine vis plasticae, irritabilis et sensibilis comprehendi possunt, ergo nominaliter tantum

erunt dispartitae. Scaturit hic idea individuae naturae cujuslibet hominis, sexus, constitutionis, certae figurae partium, voluminis colorisque earundem, sic dictarum qualitatum sensibilium, paucis qualitatis et quantitatis organorum, actionum et functionum, sive quoad ultimum gradus vitae.

Hic elucet etiam ob intimum nexum virium, quas tantum nominaliter dispartimus, difficillimum saepe saepius esse dijudicatu, quid uni, quid alteri in hisce actionibus et functionibus adscribendum, saltem eminenter accensendum sit.

γ) Mentis humanae activitas conditionem aliquam agnoscit in organismo, quatenus singula organa illius sunt instrumenta, ideo autem ejus vita non ex organica corporis vita est repetenda.

δ) Omnium manifestationum, actionum ergo et functionum duplex existit quasi substratum, unum ideale, vires; alterum reale, organon.

ε) De sanitate in homine tantum catenus convicimur, quatenus sese manifestat, ergo sub hac, vel illa ejus forma adparet.

ζ) Ergo ideam vitae sanae, qua qualitatis (β) 'quidem habemus, ast de essentia, natura, indole vitae sanae universim et singulorum systematum et organorum nos admodum pauca scimus, ita, ut definitiones semper adhuc longe plurimae desiderentur; ad summum nonnullas leges, secundum quas agere videtur, erutas opinamur. De actionibus et functionibus illas intelligimus, quae magis materialiter procedunt, ac sensibus vel immediate, vel mediate percipi possunt, et quorum dignitas et finis quidem saepius rationis quoque ope, ast tamen, quoad demonstrationem plus minusve materiali modo erui potest; et hic sese multae dif-

ficultates et nondum adhuc devictae offerunt. Sic, ut melius intelligar; scimus quidem nutrimenta in chymum, huncce in chylum, chylum in sanguinem denique converti, hujus ergo conditionem a prioribus dependere, ast plura vix scimus. Chemici quidem adnisi sunt, materias, e quibus illi humores componuntur, eruere et nonnullas etiam adsignavere, de quorum praesentia haud amplius dubium oriri potest, ast, quomodo illae mutationes fiant praeter nonnullas leges nunquam adhuc quisquam explanavit.

Mysterio autem semper obductae nobis subtrahuntur adhuc functiones et actiones sic dicto dynamico modo eminenter procedentes, uti illae sensibilitatis e. g. functiones sensuum, dein ipsa sensatio, influxus nervorum in varios processus, — illae irritabilitatis, uti actio musculorum, nempe contractio (nam functiones eorum, si non fallor, plus minusve rursus in sensus cadunt), licet summa laude digni sint conatus clarissimorum virorum, qui circa nonnulla huc spectantia revera ingeniosas protulerant ideas, quarum tamen uni parti, ut veritatem fateamur, optata claritas et perspicuitas, quae omnia revelaret, plus minusve deest, unam partem autem solummodo hucusque qua hypotheses varii valoris adsumere licet.

η) Vires illae, quoad tempus etiam definitae sunt, hinc sensim tantum organa evolvuntur, culmen attingunt rursusque inde recedunt, actiones et functiones successione quadam contingunt. Scaturit idea stadiorum — aetatum — saltem incrementi et decrementi — vigiliae et somni etc.

ϑ) Vita in statu sano diu existere non potest, nisi virium fiat restauratio, unde nexus cum natura rerum.

d.

Hisce praemissis ordo me ducit ad disserendum de statu vitae abnormi, cujus ulteriorem expositionem pathologiae committens, tantum in id adtentionem dirigo:

2.

α) Etiam vita humana abnormis sub tribus formis principalibus notis manifestationum in conspectum venit, nempe aut abnormis esse poterit manifestatio vitae plasticae, vitae irritabilis et sensibilis, vitae psychicae, aut plurium, aut omnium simul; partitio ergo illa fundamentalis vitae ad statum morbosum applicari potest, unde scaturit etiam morborum in tres familias divisio, in morbos vitae plasticae, vitae irritabilis et sensibilis, uno verbo motricis et morbos vitae psychicae saltem sic dictos, quae rursus ad duas classes, ad morbos vitae somaticae et morbos vitae psychicae reduci possunt. Ceterum non ignoro, hanc divisionem non logicam esse, quoniam anima neque aegrotari potest, neque mori, et quoniam omnes illae passiones tantum sub nomine morborum psychicorum veniunt, ubi anima ob morbosam actionem organorum, quae ejus functionibus inserviunt, in sua libera efficientia impeditur.

Hinc etiam plures clarissimi viri, qui divisionem morborum secundum illa principia tentavere, morbos psychicos illis nervorum subjunxere. Hae tres aberrationes sistunt formas principales, quibus illae functionum et actionum continentur, quae etiam in classificatione morborum, qua subdivisiones statui poterunt, quod etiam revera factum.

Sed etiam plenaria absentia cujusdam manifestationis, vitae abnormem statum, morbum designare potest — ex idea organismi facile intelligendum.

β) Etiam his aberrationibus, manifestationibus eaedem vires vitales, de quibus in statu sano mentionem feci, erunt supponendae, sed a norma deflectente modo in conflictum venientes; etiam hae eaedem vires, qua causa abnormium actionum et functionum, abnormis vitae in singulo organo et toto organismo, ergo qua causa qualitatis et quantitatis, naturae et gradus cujuscumque morbi assumendae erunt; ob intimum vero eorum nexum etiam hic difficillimum erit determinatu, quaenam eminenter vel saltem primario aberret, si eas rursus melioris intellectus causa, qua plasticam, sensibilem et irritabilem consideramus.

Neque necessarium videtur, ut recoquam, si partiatim nulla aderit manifestatio et ergo ibi saltem non illa certa activitas virium supponenda, tamen morbum adesse posse, id vero negativo modo ex idea organismi ita vocari.

γ) Animae negotia tantum eatenus abnormia apparebunt, quatenus vita somatica morbose erit affecta. *Illud igitur*, ut clarissimus monet Hartmann, *quod ex certis rationibus non procedit, quod potius sub perpetua relationum externarum vicissitudine unum idemque in se est, quale est conscientiae et liberi arbitrii principium, neque aegrotari potest, neque mori.*

δ) Etiam harum manifestationum abnormium duplex substratum adsumendum, ideale, quod vires; reale, quod organa sistunt.

ε) De abnormi vita — morbo tantum eatenus convincimur, quatenus sese manifestat, ergo sub hac vel

illa forma apparet; excepto illo negativo modo ex idea organismi. Ergo distinguas morbi formam a morbo.

ζ) Etiam de morbo ideam quidem qua qualitatis (β) habemus, ast stricte de natura, indole morbi in genere et de illa morborum singulorum systematum et organorum nos admodum pauca scimus, definitiones rarissime inveniuntur, rationes ejusdem generales, quae plus minusve ad quemlibet casum applicantur, medicos attigisse credo; de singulis morbis tantum id plerumque intelligimus, quod magis sensibus patet, immediate vel mediate his, vel etiam ope rationis erui potest; tum autem fere semper mechanicam, ad summum chemicam involvit relationem — ultra haud penetramus — de mere dynamicis mutationibus parum certe proferre valemus.

η) Quum de iisdem, ut in statu sano agatur viribus, ipsae vero definitae sint quoad tempus, etiam morbi evolutio successive fiet, certa erit in ipso relatio; unde idea stadiorum, saltem incrementi et decrementi, exacerbationis et remissionis.

ϑ) Morbi ortus causas duplicis generis involvit, quarum una pars in organismo, altera extra illum existit.

3.

Ex hisce praemissis jam patet, nos ut de morbo ideam, quatenus licet, aliquam sibi faciamus, in ejus formam, in naturam, substratum, gradum, stadium et causas in- et externas nostram attentionem dirigere debere, id quod jam Fernelius saltem una ex parte designavit, dicens: *Equidem nunquam ullum plane cognitum penitusque perspectum morbum esse putave-*

rim, nisi compertum habeatur, et quasi oculis cernatur, quae in humano corpore sedes primario laboret, quis in ea sit affectus praeter naturam, unde is processit, utrum ea sede genitus protopatice an aliunde symptomatice, an denique causa aliqua interior illum foveat.

4.

Elucet, viam principalem ad id omne adsequendum sistere formam morbi, phaenomena, quibus sese manifestat. Hae debent rite percipi, nam ex his tantum deinde, ad essentiam morbi, ad ejus noumenon, conclusio fieri potest.

NB. Fors quis objiciet: vocaris ad quemdam, qui vix paulo ante arsenicum sumsit; dicunt tibi adstantes eum id fecisse, tu ergo remedia indicata jam propinare posses; ast quia tu principale tuum diagnoseos momentum, formam morbi evolutam nondum conspicis, nihil propinas. Quam injuste et summa culpa dignus tu tum agis! — desere ideam, formam morbi esse principalem viam ad cognitionem ipsius adquirendam. Hic moneo tantum, futurum, in ulteriori tractatu sese mihi occasio offerat, de dignitate semiotices et aetiologiae relate ad munus diagnosticum verba faciendi.

5.

Omnia vero supra dicta momenta sunt illa, in quibus eruendis munus diagnosticum consistit. Ergo

I. **Forma morbi**, sive id, quod in sensus cadit. Hanc formam morbi vel unum symptoma, vel plura constituunt, quorum alia rursus erunt constantio-

ra et essentialia, et haec si adsunt, quantum licet, semper primo respicienda erunt, constituunt πάθος eminens, alia transitoria, minus constantia; ex unica causa oriundae in simplici morbo, vel pluribus causis in morbo complicato; erunt primaria vel secundaria. Symptoma, aut numero majori plura vel in sensus cadent, vel ab aegrotante referentur, erunt objectiva, vel subjectiva; unum, vel plura autem plerumque eminebunt, et ad unam aut alteram vitae manifestationem reduci poterunt h. e. aut vitam plasticam, aut irritabilem et sensibilem, aut functiones animae laesas denotabunt. Plura de hisce exponere velle extra limites harum pagellarum est, spectat in symptomatologiam, semioticen, phaenomenologiam, sive uti nostro ingeniosissimo Domino Professori Fr. nob. ab Hildenbrand placet *idologiam*, cujus dignitati certe nemo quidquam detrahere valebit. Nam, in quo alio consistit judicium sic dictum practicum (der praktische Blick), de quo denfendunt, id tantum adquiri, non doceri posse, quam in rita observatione et deinde interpretatione phaenomenorum, quae minus dexterum aut plane fugiunt, aut saltem ipsi non tantae dignitatis, non tanti valoris sunt. Ubi fors series quaedam exigua phaenomenorum sufficit, ut medicum, qui in eorum observatione et dijudicatione dexteritatem quamdam sibi adquisivit, de causis, natura morbi, therapia conveniente, prognosi plus minusve certa edoceat, imperitus fors catervam magnam symptomatum, ita, ut jam penitus defatigatus sit, inquirat, quin tamen semper illum gradum certitudinis sibi procuret, quam ille.

Hoc modo saltem conceditur, casum datum ad certas aegritudinum familias, classes reducere, nempe determinare, num vita plastica, an irritabilis an sensibilis eminenter laesa adpareat. Qui vero, quae supra adnotavimus animo pervolvit, omnes has manifestationes

reflexum esse earundem virium varia ratione determinatarum, et conditionem unius ab illa alterius dependere; vitam plasticam sumtibus vitae sensibilis et vice versa e. s. p. laedi posse, quique deinde pathologiae memor perpendit, cujuslibet vitae formae varias aberrationes quoad qualitatem, quantitatem e. s. p. esse posse, ille illico intelliget, forma morbi statuta ejusdem cognitionem nondum esse exaratam, quum peculiaris illa mutatio nempe, quam organismus in certa affecta sphaera subit, nondum patefit. Ut illam vero eruat, adhuc prius juvabit.

II. **Substratum**, *sedem* morbi respicere, quam saepe saepius tantum adjumento rationis eruere licet. Doctrina de hocce objecto vocatur ad mentem nostri doctissimi Praeceptoris *nosotopologia.* Tantum moneo, hic discerni inter substratum *generale* et *speciale*, primum etiam nonnulli sedem morbi eminenter vocant et referunt ad organon, vel plura universim, in quibus morbosus residet status, alterum ad sphaeram organi eminenter adfectam. E. g., si adfecti essent pulmones morbo quodam, non sufficit dixisse, pneumopathiam adesse, sed pervestigandum, an parenchyma, membrana muccosa etc. patiatur. Medicus hic aequari debet bono venatori, qui non solum orbem, sed centrum tangere debet. Deinde distingui potest inter substratum *materiale* et *ideale*, quod quilibet perspiciet. Haecce omnia denuo summi momenti esse, nemo negabit, qui recordatur, omne organon propriam vitam agere, propriam relationem ad naturam externam agnoscere, proprio modo potentias externas excipere et illis reniti (idea diagnoseos e juvantibus et nocentibus); neminem latebit, qui memor est, quodlibet organon pluribus partibus esse compositum, quarum suum cuilibet est tributum munus, pro cujus diversitate ergo jam varia

emerget affectio morbosa — varius hujus erit exitus — varia instituenda therapia; nemo inficias ibit, qui animo pervolvit, substratum simul quodammodo atrium morbi nonnunquam designare, et sic, an aliqua ab aegro adsignata causa quemdam certum morbum producere potuerit, confirmare; nemo abnuet, qui intelligit, inde etiam in characterem morbi generalem et specialem enucleandum quidquam lucis effulgere. Quis ignorat differentias tot tantasque inter inflammationem parenchymatosam, et rursus illam membranae muccosae, serosae? inter hanc, et dermatitidem, et sic porro? — Elucet repetitis vicibus dignitas semiotices, et quam solide hac doctrina instructus esse debeat medicus; deinde vero etiam necessitas et valor anatomiae et physiologiae, imprimis sublimioris, e quibus nobis penitiores circa functiones redundant notiones, uti et anatomiae pathologicae, quum saepius in interpretandis phaenomenis falli possumus, et substratum illis longe aliud, quam post mortem cultro reperitur, subjicimus.

III. Enucleanda ergo erit **natura**, *indoles*, *character morbi*, determinari debebit ejus *noumenon*, vel saltem neotericorum *conditio pathologica*. Doctrina circa illud vocatur secundum clarissimum nostrum Praxeos Dom. Professorem *usiologia*. Nos talem scribere velle non in proposito habentes, tantum sequentia adnotamus:

Elucet, indolem morbi non cadere in sensus, sed potius una ex parte ex illis, quae in sensus cadunt, per ambages esse eruendam, ad cujus dilucidationem insuper substratum, causarum remotarum notio, et reliqua, quae adhuc supersunt muneris diagnostici momenta contribuent, praecipue, si generalia praecepta et placita physiologica, aetiologica atque pathogenetica

in quovis individuali casu in usum trahentur. Quod phaenomena, substratum attinet, vix de ipsis loquutus sum. Relate ad causas nemo ignorabit, secundum variam dispositionem, constitutionem, habitum (causae quasi internae sic dictae) corpus quoddam a certis causis sic dictis externis vario plus minus vero constanti modo adfici, ita, ut nonnunquam jam a priori dici possit, si haec vel illa causa in hunc vel illum organismum egerit, hoc vel illud fore ejusdem effectum. Patebit ergo cuique dignitas aetiologiae relate ad munus diagnosticum jam ex hac parte.

Oritur vero quaestio: an semiotice, aut aetiologia ad diagnosim instituendam magis inserviant? Celeberr. Josephus Frank dicit: »*Crediderim nil certi hac in re proferri posse, et pro re nata nunc symptomata, nunc causas, nunc ambo simul morbi sedem et naturam revelare.*« Revera, si perpendimus morbos esse, quorum signa pathognomonica hucusque statuere non contigit, morbos esse, ubi symptomata subjectiva celantur, false indicantur, morbum gravissimum jam adesse posse, antequam sub forma quadam appareat e. g. troxicationes nonnullae, varias causas eandem producere posse formam, et deinde nonnunquam plane non sufficere cetera momenta ad cognitionem morbi, nisi aeger causam fateatur, uti e. g. in syphilide; si deinde animo pervolvimus aegros esse, qui saepe saepius causam aliquam ignorant, aut parum sui solliciti praetervident; aegros esse, quibus morbi asperitas memoriam surripuit, neque adstantes aut malitia aut inscitia loqui, aut male aliquid blaterari, si non obliviscimur puerorum et infantium aegrotationes, qui de rebus praeteritis nesciunt quandoque rationem reddere, quandoque rursus metu illas nobis silent; tum ferme invito animo cogimur ad conclusionem, tantum, dum utraque in usum trahatur,

muneri diagnostico satisfieri, utramque eundem involvere valorem.

Longe aliam sortem autem relate ad valorem usiologiae timeo, quum lectores e praemissis ita concludent: Nos de natura vitae universim et in singulis partibus admodum parum scimus, multo minus ergo de morbo generatim — de singulis morbis, uti de singulis actionibus et functionibus tantum id, quod magis mechanicam involvit rationem, nonnullas earum leges, et hoc omne plus minusve jam est evictum, et si non, fors vix unquam erui poterit. Ad quid ergo ille labor, quo indolem morbi perspicere studemus? ad quid illa continua jactatio hypothesium? an his therapia, cui aeger salutem confidat, fundenda? Nonne melius, si potius solummodo observemus, solummodo seriem certorum phaenomenorum nobis adnotaremus, hancce quaedam denominatione exprimeremus, causas inquireremus, si deinde, quid ab antiquissimis temporibus, quando illa simul praesentia fuerunt, semper et cum fructu adhibitum fuit, quoque adhiberemus, et sic meram praxim spreta sic dicta theoria exerceremus, quum alioquin natura plurimum praestare debeat et omnibus temporibus nulla habita ratione tot fluctuantium theoriarum tam multi aegri sanarentur. Et, ut jam omnia adducam, fors dicent: Quid juvabunt te haec omnia, exanthema secundum hanc methodum non noveris, ut alio determinare possis, nisi antea tibi id empirice demonstratum fuerit. Verum, sed nomen non novero, de essentia ejus vero proh dolor! alius fors vix plus, quam ego sciet. Ceterum magnus Sydenham dicit: *morbum sanabo, nomen nescio.*

Revera artium pulcherrimarum, tum ars infelicissima! Qui ita concludunt et clamant, illi non digni, ut homo salutem, donum istud immensum illis confidat,

illi magno desiderio ad veritatem inquirendam non tenentur, illi vix digni nomine medici. Liceat illis in memoriam revocare, quod a Hippocrate sapienter proditum est: *qui ad cognoscendum sufficit medicus, ad sanandum etiam sufficit*; liceat eos attentos reddere in effatum Celsi: *quem morborum origo et primordia fefellerunt, is minus recte curam suscipiet*, perpendant verba, centies centiesque relegant, jatrophilosophorum Hartmann et nob. ab Hildenbrand, quarum primus dicit, quod secunda pagina hujus dissertationis relatum vides, alter autem profert: »*Laudem quidem ac venerationem meretur candidum et modestum, quod nonnulli magni viri praetulerunt, ignorantiae adsertum; scientia tamen medica perfectionis ne hilum lucaretur, si cuncti eadem premerent vestigia. Rationis lucem nacti sumus, ut ea prudenter utamur in illustrandis, quoad vires sinunt rerum phaenomenis atque causis. Qui tenebras amant, sub meridiana etiam luce caecutiunt. Qui ob erroris metum ratiocinia fugiunt, divinum rationis donum non merentur. Salebrosa quidem est, quae ad veritatem ducit, via, plurimisque intersepta maeandris; imo metam attingere mortalibus saepe vetitum. Haec omnia vero nondum suadent soli acquiescere intuitu rerum, solisque sensibus uti; licet nos cautos esse debere jubeant in coërcendis phantasiae illecebris, inque evitandis futilium hypothesium laqueis.*«

Certe, etiamsi non intima penetramus, quod mortalibus vel semper vetitum erit, saltem generales quasdam ideas de praecipuis morborum conditionibus nobis comparemus, quae nos in cura instituenda dirigent; quamvis non ubique certitudinem et veritatem nobis acquirere licet, saltem probabilitatem illam, quae ad therapiam tute instituendam sufficit, amplectamur. Alias enim empiriam coecam sequimur, aequamusque pseu-

domedicis, qui salutem aegrorum habere videntur ludibrio, qui, ut saltem exemplum illius levitatis adducam fors non erubescent, si ad quemdam profluvio laborantem vocantur, penitus necessariorum incurii, illud adstringentibus statim supprimere, ac si organismus esset lagena quaedam epistomio obturanda. Nonne tale quid horrendum et simul ridiculum? —

Verum est et semper manebit: experientia et ratio fundamentum, quo innixi omne objectum Medicinae prosequi debemus.

Hinc etiam intelligitur, cur systemata illa, ubi praecipue secundum phaenomena tantum morbi coordinantur, nequaquam tanti valoris sint, quam illa, quae utrumque momentum formam et naturam, saltem quousque id licet, qua basim condendi systematis adsumunt. Quare in pluribus systematibus a recentioribus editis duplex illud momentum respici videbis. Et eorum utilitati et dignitati quoad praxim vix aliquid opponi potest. Ne autem a partibus esse videar, reddo tantum ad aliam scientiae empiricae speciem, ad zoologiam attentos. Nonne conanima recentiori tempore eo directa, systema geneticum — systema etiam internam animalium structuram respiciens condendi?

Sermoni circa naturam, characterem morbi finem impositurus, tantum adhuc commemoro inter generalem et specialem saepius distingui posse, quod facile concipitur, si quis, quod de substrato monuimus, in memoriam revocat, et deinde nonnullas causas processum quemdam, sed peculiariter modificatum provocare posse, non obliviscitur. E. g. potest adesse inflammatio, sed per venenum inducta, toxica, et novimus, fere tot toxicarum passionum schemata occurrere, quot sunt venenorum species.

V. Momentum muneris diagnostici consistit in determinando **gradu** morbi. Distingui poterit gradus *levis*, *mediocris*, *altus*, *altissimus*. Dignitas patebit illi, qui non immemor est, hocce therapiae rursus regi gradum.

VI. Respectus habendus **stadii** morbi, quod ad cognoscendam et dijudicandam morbi naturam plurimum saepe saepius conferre potest — saltem non raro illam facilitat; novimus enim, certos morbos in certa aetate peculiares mutationes subire, nonnunquam peculiari benefico naturae actu, in bonam partem mutari, sive crisim subire. Dignitas hujus momenti ergo relate ad munus diagnosticum patet, quin ejus influxum in therapiam et prognosim adhuc addamus. Cognito more in *initium*, *incrementum*, *statum*, *decrementum*, *et finem* stadia morborum dividuntur, quae autem in sic dictis chronicis vix semper determinari poterunt.

Uti vero e tractatu de vita sana elucet, ejus clariorem conceptum adhuc notiones sexus, temperamenti, constitutionis etc. involvere, ita et eadem momenta in diagnosi perficienda semper erunt computanda, quibus adhuc genium et constitutionem epidemicam et deinde vitam transactam, quod ultimum sic dicta anamnesis complectitur, addimus.

Enucleationem vero omnium horum momentorum diagnostici muneris diligentissimo et solertissimo aegrorum examine vel adstantium dependere, nemo erit, qui non intelliget; hoc et totum mun s diagnosticum multas scientias supponere, ut cum dexteritate instituatur, et in singulo casu ad optatum finem perducat, patet. Peculiares circa ea regulas proferre, hic non locus; qui circa illa solide institui vult, illi non satis commendare possumus, ut tractatus circa haec relegat egregios Fri-

derici Hoffmann[1]), Stoll[2]), Vogel[3]), nob. a Raimann[4]), Val.[5]), et Franc. nob. ab Hildenbrand[6]), Knolz[7]), quos inter alios nominasse sufficiat.

Ceterum non inficias eo, non semper tales diagnoses, in quibus omnia momenta haec discussa sint, perfici posse; ast spero tamen, quemlibet convinci, esse hanc methodum, quae hocce munus praecipue tironibus summopere facilitet. Uti pro formis vitae sanae varia nomina existunt, ita etiam illis vitae aberrantis varia impertiuntur, ita ut morbi idea et aliis communicari possit, vel in scopum, ut systema condatur. Ast ex omnibus praemissis facile liquebit unam eandemque formam variae indolis esse posse, vix ergo saltem semper unum sufficiet nomen ad clarum conceptum morbi efficiendum, sed in longe plurimis casibus plura erunt necessaria, requiretur ergo *denominatio*. Debebit ergo ut scopo suo satisfaciat

1) cardines diagnoseos antea memoratos, quantum licet, vel saltem necessarium est, complecti, utpote for-

---

1) Frider. Hoffmanni Medicinae rationalis systematicae tomus tertius. Venetiis anno 1730, p. 8. e. s.

2) Max. Stoll, pars sexta rationis medendi ed. ab Eyerel. Viennae Austriae MDCCXC. p. 269. e. s.

3) Samuel Gottlieb Vogel's Krankenexamen. Stendal u. Wien 1796.

4) Raimann, Anweisung zur Ausübung der Heilkunst.

5) Ratio medendi in schola practica Vindobonensi ab V. nob. ab Hildenbrand. Viennae Austriae 1814. — Initio institutionum clinicarum ab J. V. nob. ab Hildenbrand. Viennae 1807.

6) Franc. nob. ab Hildenbrand, Annales scholae clinicae Ticinensis.

7) Institutiones medicae hygienes, semiotices et therapiae generalis auctore Josepho J. Knolz. Viennae MDCCCXXXV. pag. 397.

mam morbi (passionem eminentem) substratum, naturam, imo non raro causam, praecipue, ubi priora non sufficiunt, vel illa eruere minus licet. Hisce deinde adjungitur gradus et stadium morbi. Sufficiet hic adhuc sequentia monuisse: ut nempe

2) seligantur nomina nota, quantum id possibile est,

3) ridiculae et rationi adversae vocum conjunctiones eliminentur, nisi inveterata jam quaedam consuetudo et auctoritas, illud interdiceret, quo in casu confusio oriri vel praesens augeri posset. Scias: Claram expressionem clarum judicium supponere,

4) ut, si ad novas denominationes formandas cogimur, id non timeamus, dummodo in iis formandis secundum regulas indicatas procedimus; nam novos conceptus exprimendi necessitas, nova saepe creare jubet nomina.

Ex his et jam pluribus prius adlatis patebit dignitas alicujus systematis praeclari, quod in usum trahere licebit in diagnosibus perficiendis.

Quum vero magna sit in omnem partem vis exercitationis, hac ipsa optime theoriae cujusdam utilitas approbetur, etiam liceat mihi saltem tres diagnoses secundum methodum, quae sub auspiciis clarissimi Domini Professoris Fr. nob. ab Hildenbrand toties totiesque cum felicissimo eventu in usum trahitur, confectas adducere.

Casus primus.

Sit juvenis 18 annorum, constitutionis firmae, temperamenti sanguinei, qui ante duos dies exaestuans vestes deposuit et sic per duas horas adhuc a vento afflatus viam fecit. Domum veniens persentiit dolores

punctorios ad infimas costas spurias lateris sinistri, ita ut noctem inquiete transigere deberet, mane altera die dolores quidquam remisere, sed ipse lassitudinem persentit, fuitque morosus, a meridie per vices rursus redierunt, aeger vespere simul horripilationes animadvertit, quos mox sequitur aestus; sub inspiratione profunda dolores ipsi augentur. Nocte quidquam dormivit, ast tertia die insuper sensum ponderis sterno incumbentis persentiens, quum cito simul et frequenter respirare debet, accersit medicum. (Anamnesis nihil memorabile continet.) Huic vespere veniens sequens sese offert

Status praesens.

Capitis et faciei turgor, temulentia, genarum rubor, oculorum suffusio, lingua muco albo tecta, sitis vehemens, appetitus prostratus, in thorace ad regionem infimam spuriarum costarum sinistri lateris dolor punctorius sub attactu non, sed sub respiratione augendus, de quo aeger etiam maxime conquaeritur. deinde respiratio obliqua, frequens, anxia, sensus ponderis sterno incumbentis, tussicula sicca sub quavis fere inspiratione, decubitus in latus sinistrum praedilectus, abdomen tensum, alvus pigra, urinae parcae, flammeae, crudae, cutis multum calet et sudat, pulsus frequentes, pleni et duri. Aeger effatur, se pejus valere, quam mane.

Diagnosis.

Passiones eminentes sistunt: febris cum dolore pectoris in latere sinistro et respirationis laesio cum sensu ponderis sterno incumbentis.

Febrim adesse testantur horripilationes mox ab initio morbi et lassitudo, subsequo aestu — sitis adaucta, pulsus accelerati.

Quoad *decursum* est continua remittens, quoniam hucusque non cessavit, atque exacerbatione vespertina stipatur.

Quoad *characterem* est inflammatoria, quod probatur ex turgore vitali adaucto, pulsu pleno, frequenti, duro et praesentia topicarum adfectionum, quae homonymi sunt characteris, quod evincere conabimur.

Dolor ille *residet* in pectore sinistro.

Substratum est pleura, quod demonstrant: a) forma; est enim pungens, b) sub tactu non crescit, ergo non potest esse in musculis, c) laedit respirationem.

Quoad *characterem generalem*, dolor iste est inflammatorius, nam augetur sub respirio profundo, comitaturque febri inflammatoria, estque ipse nunc continuus.

Quoad *characterem specialem*, rheumaticus. Indoles specialis a natura substrati, causa, symptomatibus desumi potest. Omnia haec in nostro casu in usum trahere possumus.

Quoad momentum 1mum rheumaticus est, nam est in membrana serosa, quoad mom. 2dum rheum. est, nam ex atmosphaerae vicissitudine ortum duxit, quoad 3tium momentum talis est, nam est pungens.

Adesset ergo febris inflammatoria, cum inflammatione rheumatica pleurae, vel paucis *pleuritis rheumatica* et quidem in thoracis sinistra parte.

Sed morbus etiam in parenchymate pulmonis sinistri latet, adestque *hujus inflammatio,* quod devincunt: a) Sensus ponderis sterno incumbentis, b) respiratio laesa, c) tussis sicca, d) comes pleuritis, e) situs in latus affectum concessus. Nexum pneumonitidis cum

pleuritide nemo praetervidebit, et quia haec prior adfuit, tota denominatio sonabit: *Pleuropneumonitis rheumatica lateris sinistri.* Gradus altus, stadium acmes.

Casus secundus.

Sit aegra viginti annorum, vaccinata, cubicularia, quae morborum infantilium scarlatinam et morbillos feliciter perpessa menstruis prima vice salutabatur 18vo anno, quae absque magnis gravaminibus prorumpebant, ast solummodo semel adparuere, quin tamen puella, sanam ceterum se credens, ullam istius suppressionis causam adferri possit. Ex hac menstruorum suppressione nil persentiit molesti, nisi quod singula quarta vel quinta hebdomade quaedam menstruorum molimina adparuerint, sese manifestantia per capitis dolores, vertiginem, cardiopalmum, delassationem universalem, sed puella ruri degens ceterum bene valuit, usque ante dimidium annum incepit depasci ejusque color laete ruber pallidus squalidusque evadere; disparuit appetitus, admodum etiam post leviores labores se sentiit delassatam, ut officia sua amplius praestare non valeret. Quare medici auxilium quaerit, qui sequentia invenit.

Status praesens.

Caput quidquam dolet, vertigo, annulus circa oculos caeruleus, faciei color generatim cachecticus, caruncula lacrymalis, labiorum interna superficies, labia, gingiva pallida, lingua pura, sitis non adaucta, appetitus prostratus, deglutitio, respiratio normalis, cordis levis palpitatio sub corporis motu quidquam aucto, abdomen nihil morbosi offert, alvus non mota,

urina aquosa, cutis pallida, laxa, calor imminutus, delassatio universalis, pulsus mollis debilis, moderate frequens.

Diagnosis.

Passionem eminentem sistit decoloratio cutis. Pertinet ergo morbus ad cachexias, ad dyschroeas et quia adest color pallidus simulque capitis dolor, vertigo, cardiopalmus, post motum quidquam auctum, hunc morbum pro *chlorosi* declaramus; praeprimis, si non obliviscimur, haec symptomata ex utero in puella pubere per sat longum tempus jam non menstruante profluere. *Substratum* morbi sistunt organa haematopoetica, ad quae etiam uterum referre licebit, cujus licet omnium, functio in nostro casu in specie languet. Id ita esse probant: color pallidus, pulsus molles, debiles, menses supressae, languor directus, debilitas erethistica ex deficiente stimulo sanguinis. Esset ergo *quoad naturam* morbus reproductionis, quum scilicet progrediens metamorphosis qualitate peccat; deest enim in sanguine materia fibrina et cruor. Gradus mediocris, duratio longior.

Casus tertius.

Sit puella viginti annorum, constitutionis firmae, temperamenti sanguinei, de qua relate ad anamnestica nihil notatu dignum proferendum, nisi quod sanitate sat constante semper frueretur, usque dum ei ante 3 menses menstrua, quibus 15^to^ anno salutabatur, et quae semper regulariter hucusque fluxere, emanserint. Ab illo tempore repetitis vicibus et quidem, quando menstrua adparere debuissent, dyspnoea, vertigine, temulentia capitis corripiebatur.

Nunc denuo adest illud tempus, menstrua non fluunt adsociatque se illis phaenomenis adhuc cardiopalmus et alia ita, ut auxilium medici adploret, qui sequentem invenit statum.

Status praesens.

Calet caput et quidquam dolet, sensus oppressionis in pectore, anxietas, cardiopalmus, abdomen molle, alvus pigra, urinae non prostant, calor cutis quidquam auctus, pulsus moderate fortis, plenus vix frequentior normali.

Diagnosis.

Passio eminens est retentio fluxus menstrui — menostasia. Pertinet ergo hoc intuitu morbus ad eccrises. *Substratum:* Uterus et totum systema haematopoëticum, quod non necessarium, ut probemus. Menostasia esse potest autem vel *aporica*, ubi inopia adest sanguinis et hujus imperfectio, vel *plethorica*, ubi copia sanguinis sufficiens adest, sed sanguis non ruit per viam naturalem. In prima dispositio ad diathesin chloroticam, in secunda ad inflammationem. Hic *plethoricam* adesse testantur cardiopalmus, dyspnoea, caephalea, quae phoenomena tantum a congestione sanguinis ad organa, e quibus scaturiunt, derivare possumus. Denominatio ergo esset: *menostasia plethorica.* Gradus altus, duratio longior.

(Me plura e nonnullis operibus Val. et Franc. nob. ab Hildenbrand, Hartmann, e phaenomenologia Küttner et aliis in usum traxisse ingenue fateor).

Theses defendendae.

I.

Anatomia microscopica valorem defendit non ultimum.

II.

Systema zoologicum optimum praedicarem, cujus basis animalium structura interna.

III.

Inter systema mineralogica scopo, ut mineram aliquam determines, illud ingeniosissimi Mohs omnibus reliquis superius.

IV.

Linnaei systema plantarum sexuale tironi utililissimum.

V.

Cor solum circulo sanguinis perficiendo non sufficit.

VI.

Theoriae τȣ Magendie circa vomitum non adsentio.

VII.

Post coenam sit quies.

VIII.

Divisio salium in acidos, alcalinos, neutros, medios terreos et medios metallicos non valet.

IX.

Morbi, quos animae morbos nominamus, non in mutatione abnormi psyches, sed in somaticis fundantur rationibus.

X.

Vix psychologus, nisi medicus.

XI.

In pathologia Friderici Hoffmanni prima pathologiae solidaris recentioris germina includuntur.

XII.

Fors non absonum erit, relationem electivam ad organa genitalia adsumere medicaminum, quae in genitalibus aut in eorum vicinia parantur, considerando castoreum, moschum, ova, croci stigmata.

XIII.

Medicamentorum, juxta eorum in organismum actionem, divisio reliquis praeferenda.

XIV.

In rheumatica artuum inflammatione, nisi phlegmone urgeat, hirudinibus abstinendum.

XV.

Keratonyxidi cum depressione catarrhactae, ultimus locus inter methodos, quibus hujus operatio instituitur, tribuendus videtur.

XVI.

Coxalgia optime ad tria sequentia reducitur stadia: ad stadium congestionis, stadium inflammationis, et illud, quod hujus sequelas involvit.

XVII.

Docimasia pulmonum hydrostatica sola non sufficit ad eruendum, num infans post partum vixerit, nec ne.

XVIII.

Divisio mercium in contagium recipientes et non recipientes non valet.

XIX.

Medicina certe est scientia.

XX.

Medicus sicut poëta natus sit.
